

**www.e-rara.ch**

**Exercitatio philologico-critica, de actis Pauli et Barnabae apud  
Lystrenses, posterior**

**Altmann, Johann Georg**

**Bernae, 1735**

**Universitätsbibliothek Bern**

Shelf Mark: MUE H XLVII 116 : 4

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-26620>

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

EXERCITATIO  
PHILOLOGICO-CRITICA,

De Actis

PAULI ET BARNABÆ

Apud Lyftrenses ,

POSTERIOR.

Quàm

Σ Τ Ν Θ Ε Ω ,

*Præside*

J. GEORGIO ALTMANNO,

V. D. M. Linguae Græcæ & Ethicæ in Academia  
Bernensi Professore ordinario.

*Pro viribus publicè defendendam suscipiunt,*

EMANUEL KOENIG, } Bernates,  
SAMUEL MUTACH, }  
Philosophiæ Studiosi.

*In Auditorio novo ad diem*

*Maij 1735.*

*horis pomeridianis.*

B E R N Æ ,

Ex Officina Typogr. Illustriss. Reipubl. Bernensis, 1735.

CITY OF NEW YORK

IN SENATE  
JANUARY 18, 1890

OFFICE OF THE CLERK OF THE SENATE  
ALBANY, N. Y.



VIRIS

*Munere, Honore, Dignitate, Amplissimis,  
Spectatissimis.*

JOH. RODOLPHO SINNER, Illustrissimæ Reipublicæ Bernensis Senatori Ordinario, partis Germanicæ Quæstura summo cum honore defuncto, Collegij Appellationum Ditionis Teutonicæ Præsidi; Abavunculo Honoratissimo.

SAMUELI MUTACH, Illustrissimæ Reipublicæ Bernensis Senatori Ordinario; Ædilitate curuli omnium consensu laudatissime defuncto; Avo ad tumulum Colendissimo.

FRANCISCO LUDOVICO FISCHER, Illustrissimæ Reipublicæ Bernensis ducentum Viro, Præfectura Comitatus Burgdorffensis optime defuncto; Agnato Honoratissimo.

EMANUELI ROTH, Illustrissimæ Reipublicæ Bernensis Ducentum Viro, & Cancellario dignissimo; Agnato varijs nominibus Colendo.

JOH. RODOLPHO LERBER, Illustrissimæ Reipublicæ Bernensis Ducentum Viro & Commissario Generali Eruditissimo, Senatus Academici Assessori; Avunculo Honoratissimo.

ABRAHAMO à GRAFFENRIED , Illustrissimæ Reipublicæ Bernensis Ducentum Viro ; Frisiæ Cohortium Centurioni ; Avunculo omni cultu prosequendo.

Nec non

*Admodum Reverendis atquè Doctissimis Viris*

ALBERTO WITTENBACH , V. D. M. Ecclesiæ quæ in Wohlen colligitur Pastori Vigilantissimo , Venerandæ Classis Burenfis Decano Honoratissimo ; Avunculo omni honore Colendissimo.

CASPARO KOENIG , V. D. M. & Ecclesiæ Vindonissensis Pastori Dignissimo , Avunculo omni honoris genere prosequendo.

Hanc Dissertationem

Manu , ore , corde.

D. D. D.

EMANUEL KOENIG,  
SAMUEL MUTACH,  
Philosophiæ Studiosi,

*Respondentes.*

EXER.



EXERCITATIO PHILOLOGICO - CRITICA.

De Actis

PAULI ET BARNABÆ

Apud Lyſtrenſes.

POSTERIOR.

*Ad Illustrationem Loc. Actor. XIV. 15. - - - - 20.*

§. I. **P**aulus gestu facta audientia Orationem suam honorifico & Græcis sueto titulo *ἀνδρῶν* inchoat, cujus compellationis ratio & usus exemplorum inductione explicatur. §. II. Blasphemam de divinitate sua persuasionem hujus turbæ à se amolitur asserendo se ipsis *ὁμοιοπαθεῖς*, quæ vox exponitur, & argumenti nervus ex Theologiæ paganæ principijs stringitur. §. III. Informatos de sua persona Idololatrias ad attentionem salutiferæ Orationis præparat, propositione generalis rationis illius. Vox *εὐαγγελίζεσθε* & ipsius emphasis ad insanum ipsorum cultum castigandum explicatur. §. IV. Propius finem suum prosequitur annuntiando ipsis quem hæcenus ignoraverant, Deum, quem describit & ex Idolorum classe eximit epitheto *Vivi*, & allegatione operis soli Summo Numini proprii Creationis universi, quo ipso simul reprehendit gentilium de origine mundi ignorantiam & errores. Quid sit vita Dei explicatur. §. V. Justum Dei judicium, quo gentes sibimet ipsis reliquit, exponit, & eo ipso perditissimæ corruptionis eorum causas ob oculos ponit, cujus tristissimi ulceris desperata conditio satyrici verbis probatur. §. VI. Parte Orationis tertia ad naturales de Deo notiones ex dictamine conscientiæ, operibusque providentiæ hauriendas, & propria gentilium confessione fir-

mandas, eos deducit, proponens argumenta, quibus Deus sui testimonium ipsis dedit, bonitatem nempe ipsius. §. VII. Quæ se exeruit 1. largitione pluviarum, quas Numini acceptas referebant Pagani, & precibus elicere studebant, hinc Ζεὺς ἰσχυροῦς, Jupiter Pluvius, Aquilicius &c. 2. Fertilitate terræ, ubi notio καρεῖν exponitur. 3. Inde consequente exhilaratione & saturatione hominum; refutantur ij qui vocem ἐνφροσύνην ad vinum restringunt & vera ipsius notio stabilitur, qua ratione quoque de voce καρδιά disseritur. §. VIII. Ad effectum Apostolicæ orationis lustrandum fit progressus; tanta ejus apud turbam vis erat, ut sacrificijs eos honorare cogitarent, sed statim incitantibus Judæorum aliquibus in contraria vertuntur, qua occasione perpenditur. 1. Judæorum furor & malitia, sed a Servatore prædicta. 2. Lystrensiū vesana mutatio pro ratione inconstantia vulgi: Ex his characteres regni Christi eruuntur. §. IX. Miraculum in Paulo factum consideratur. Lapidatio tumultuaria Pauli probabiliter Judæos auctores habebat, quæ eo ad preces fidelium resurgente in vanum cecidit, qua occasione in de prædicatione gloriosa Dei benignitatis in Paulo demonstrata Dissertatio desinit.





§. I.



Onsideravimus in nupera Dissertatione partem primam actorum Pauli apud Lytrensens , ad alteram nunc deveniendum , in qua divina Apostoli ad supersticiosam gentem oratio , cum consequente impia & ingrata doctoris gentium , quem modò tanquam suum Jovem adoraverant, ejectione spectanda erit. Cum enim Paulus vesanam Lytrensium sacrificia offerentium turbam cum laborum & itineris sui comite Barnaba vidisset, hæud dubiè primo statim momento hominum clamor , & de Dijs præsentibus error, tantus erat , ut nec voces nec oratio Pauli exaudiri potuerint , hinc quo primo potuit gestu hunc divinum honorem à se amovere studebat, vestes lacerando , ut hac ratione collatum mortalibus , non nisi æterno numini convenientem cultum & honorem detrectaret ; composita jam ad Pauli orationem audiendam turba , totam hanc Lytrensium Concionem alloquitur.

Ἄνδρες , τι ταῦτα ποιεῖτε. *Viri , cur ista facitis.* Allocutio honorifica , & apud Græcos admodum usitata , sic etiam angeli discipulos & Apostolos Christum in cœlos ascendentem aspicientes alloquebantur , ἄνδρες Γαλιλαῖοι , τι ἐσηκώτε ἐμβλεπόντες εἰς τὸν ὕρανον , *Viri Galilei , quid statis*

*tis intuentes in cælum*; Apud Græcos familiaris erat hæc alloquendi formula, hinc Xenophon in Orationibus suis hoc nomine utitur, ἄνδρες ἄριστοι, ut hæc prolixius demonstrat *Raphel. in annot. Philolog. ex Xenoph. pag. 147.* Licet enim vox ἀνὴρ quemvis sapius hominem, sapius etiam maritum notet, communissime tamen in compellationibus publicis pleonastice & emphatice Viros fortes & egregios notat, sic *Thucydides Histor. Lib. III. p. m. 181.* γινεσθε δὲ ἄνδρες, οἷς ἴσθ' ὑμᾶς οἱ τε Ἕλληνας ἀξιῶσι, καὶ τοῦ ἡμετέρου δεῖ βελεται. *Estate igitur viri, quales & ipsi Græci vos judicant, & metus noster jam postulat.* Magnificum vero titulum in hac voce veteres posuisse, egregie nobis etiam aperit *Aristophanes in Nubib. vers. 820.*

Ὅμως γε μὲν ἄριστοι, ἢ εἰδὴς πλείονα  
καὶ σοὶ φρασῶ φραγμὶ, ὅ σὺ μαθῶν, ἀνὴρ ἔσσι.

*Age, accede, ut plura ex me scias,  
Nam ea tibi dicam, quæ si discas, vir eris.*

Quemadmodum enim Romani populum in Comitijis collectum nomine Quiritum alloquebantur, ita Græco more ubique splendidissimi conventus, collegia, conciones hoc nomine compellabantur, ut id nobis luculento testimonio firmat *Herodianus*, Alexandri ad milites suos orationem describens, *Histor. Lib. VI. cap. 3. pag. 261.* Ἐβλαμῆν μὲν ὡς ἄνδρες συστρατιῶται, τὰς συνήθειας ἀριστοῦ ὑμᾶς ποιῆσαι λογῆς. *Cuperem equidem commilitones, consuetam ad vos habere orationem &c.* Plura autem in hanc rem exempla congerere hic opus non est.

§. II.

Post allocutionem jam primo Paulus id agit , ut Lyfthrenfes convincat, se non Deos esse sed homines , καὶ ἡμεῖς inquit ὁμοιοπαθεῖς ἐσμεν ὑμῖν ἀνθρώποι, nos quoque sumus homines , iisdem quibus vos infirmitatibus obnoxij. Beza vertit; nos quoque sumus homines, iisdem quibus vos, affectionibus obnoxij. Vocem ipsam explicat Alberti in Observat. pag. 454. ὁμοιοπαθῆς est apud Aristotelem & Theophrastum. Macrob. Saturn. Lib. IV. cap. 6. Oratores ὁμοιοπαθεῖαν vocant , quoties de similitudine passionis παθῆσθαι nascitur. Apud Arian. Lib. VII. cap. I. Indorum sapientes Alexandro dicunt, σὺ δὲ ἀνθρώπως ὦν, παραπλήσιος τοῖς ἄλλοις. Tu vero homo reliquis similis es. Omnia autem, quæ jam in hoc Pauli sermone occurrunt, ad confutandam insanam gentilium de Dijs opinionem conducunt, cum enim , ut in præcedenti Dissert. p. 107. & seq. exposuimus , gentiles stolidam de Dijs præsentibus opinionem voverent , aut eos ἀνθρωπομορφος secundum sententiam Epicureorum multi crederent , hæc omnia jam Apostolus convellit , atquæ se merum hominem humanis infirmitatibus obnoxium clamat , facile enim constabat apud gentiles omnes , Deos nullis malis vel infirmitatibus esse obnoxios , hinc constans Athenagoræ dictum το θεῖον καὶ ἀδυνατον καὶ ἀκίνητον , Deum esse immortalem & immutabilem , & Manil. in Astron. Lib. I. §. 523.

*Idem semper erit , quoniam semper fuit idem  
Non alium videre patres , aliumve nepotes  
Aspicient ; Deus est qui non mutatur in ævo.*

S

Hanc

Plane hoc modo etiam ipse Cicero, Deum in Dialogo de *Natura Deor. Lib. I. cap. 29.* describit. *Quod beatum & immortale est, inquit, id nec habet, nec exhibet cuiquam negotium.* Potius ergo in his Apostolus, ad ipsam gentiliū de Deo sententiam provocare, se ergo cum Barnaba mortalem hominem, nec in ulla à rebus humanis parte alienum, profitetur, primo ergo hæc opinio ex animis Lytrensium expellenda erat, ut quæ deinceps ad eos verba facturus esset, majori attentione exciperent, si persuasi essent, nec Jovem nec Mercurium, sed viros aliquos divina sapientia & miracula patrandi virtute ad illos accessisse, qua homo inde à nativitate claudus sanatus fuisset.

§. III.

Cum jam Paulus Lytrensibus declarasset, se esse homines, ab omni divinitatis existimatione longe remotos, prædicationem suam (cujus haud dubiè summam tantum nobis Scriptor sacer exponit, cum omnia suadeant multa præterea & varia Apostolorum orationem in se continuisse) ad hos Idololatrias instituit, eorumque animū ad sedulam attentionem parat, dicendo, *εὐαγγελιζομενοι υἱας*, ut sciant, se illis & rem lætam & novam annuntiaturum, hæc quasi erat facta ad eos attentionis petitio. Voce utitur Scriptoribus Græcis communi satis & familiari, sic *Aristophanes in Equilib. §. 644.*

Ἐπὶ ἑσπεραὲν μὲ εὐαγγελίζα.

*Illi me ob lætum nunciū coronis ornant.*

Et

Et idem in eadem fabula paulo post ψ. 652.

- - - Άνδρες , ἴδῃ μοι δοκεῖ ,  
Ἐπὶ συμφοραῖς ἀγαθαισιν εἰσηγγελῆμεν ,  
Ἐυαγγέλια θυεῖν , ἑματόν βυς τῇ Θεῷ .

- - - *Viri Athenienses , nunc mihi videtur ,  
Ob ærumnas , quæ bonum nuncium afferunt ,  
Sacrificare centum boves non debere Deæ .*

Si aliqua autem hîc conjectura locum habet , omnia fua-  
dent , Apostolum Lytrensēs docere voluisse , eos omni-  
no posse & debere per sacrificia & coronas gaudium &  
lætitiā declarare maximā , non propter Jovis & Mer-  
curij adventum , sed propter Evangelium illis allatum ,  
nec quantum quidem suspicor vana aut sine fundamen-  
to , hæc nostra affertur opinio , solebant enim , ut jam  
ex his locis apparet , gentiles accepto lato nuncio ho-  
stias & sacrificia maxima immolare ; docet nos id an-  
tiquus Aristoph. Scholiastes ad primum locum modo ci-  
tatum. Τῆς γὰρ εὐαγγελιζομένων πᾶσαν σεβασίαν ἐπιμῶν ,  
*Solebant evangelizantes , sive bonum nuncium afferentes , co-  
ronis ornare , hinc etiam Æschyl. Agam. ψ. 270.*

Ἐυαγγελιστῶν ἐλπίσιν θυηπολεῖς .

*Propter spem lati nuncij sacrificia paras .*

Docet ergo Paulus , se cum Barnaba nova equidem af-  
ferre gaudia , sed longe diversa ab ijs , quæ ipsi crede-  
rent , non ὀψοφανεῖαν Deorum , sed gratiæ salutiferæ , quæ  
equidem tantā esset , ut nulla omnino lætitiæ signa suffi-  
cere ,

cere possent, ad illius magnitudinem & excellentiam declarandam, illam autem consistere primo in agnitione superstitiosi & idololatrici cultus & ejusdem vanitatis & impietatis, ut & verum Deum agnoscere, & agnitum colere & amare incipiant. Cultum autem idolorum Apostolus vocat *ματαιον*, sive *τα ματαια*, qua voce etiam usi sunt Scriptores Sacri V. Testamenti, ad idolorum nullitatem describendam, ut id videmus ex Esaj. 41: 29. solent etiam LXX. Interpretes hebr. *יִנָּן* per hanc vocem exprimere, *ματαιον* vero apud Græcos est, quidquid sine successu suscipitur, quod ineptum, irritum & stultum est, sic Herodian. *Histor. Lib. VIII. 8.* ἐχ' ἑλομῆροι πολέμου *ματαιον* ἕως ἀνδρῶν τεθνηκότων, *cum nollent bellum inane & irritum pro viris mortuis suscipere*, ubique vero idolorum cultus hoc nomine venit, quia frustra in eo quærentur, quæ ad consolationem vel ad beatitatem requiruntur, cum enim scopus religionis esse debeat, vera Deum colendi ratio, sub spe certa divinæ remunerationis, merito omnis gentilium religio *ματαια* dicitur, quia omnia ea in illa desunt, quæ ad rationalem & Deo convenientem cultum & religionem necessaria sunt, ideo etiam *יִנָּן* & *יִנָּן* ubique opponuntur, Amos. 5: 5. Esaj. 66: 3. vocem hanc etiam explicat *Bochartus in Hieroz. Tom. I. Lib. 2. cap. 53.* opponit jam Apostolus Evangelij prædicationem & veri Dei agnitionem, cultui gentilium, qui etiam apud Lystrenses omnium oculos hæctenus fascinasset, eos ideo rogat, ut non idola mortua sed Deum vivum dehinc adorent, quem jam describit, quod ille sit, quem prædicet, qui creaverit & coelum & terram, & omnia, quæ in ijs sunt, & hæc jam prima pars est no-

væ prædicationis apud Lystrenses instituta, dum eos docet, quænam sit cœli terræquæ origo & principium, de quo hætenus omnes fere gentilium Philosophi disputaverant, & hæc jam Pauli oratio maximam attentionem movebat apud hos homines vera hætenus de his rebus cognitione destitutos.

§. IV.

Divinam sapientiam & prudentiam perpetuam in hac prima orationis suæ parte probat Apostolus, orditur enim a rerum omnium causa & origine, cum nosset hanc quæstionem controversam admodum esse & dubiam apud Græcos omnes, qui quid de mundi principio crederent aut statuerent, nesciebant, nam antiquissimi Philosophi quidam statuebant, τὴν τῶν κόσμου φύσιν αἰδίον εἶναι, καὶ μὴτε εἴτε ἀρχῆς ἤσκειν ἐρρηκεῖαι, *mundi naturam sempiternam esse, nec certum principijs ortum habentem; Diodor. Sicul. Lib. II. pag. 116.* Similia tradidit Heraclitus teste Plutarcho de animar. procreat. pag. 1014. Κόσμον, ἠνείκεν ἄλλοις θεῶν, ἢ τ' ἀνθρώπων ἐποίησε, *mundum hunc nec aliquis Deorum nec hominum fecit.* Alij autem mundum factum asseriebant, quos inter jam fuit Linus teste Laert. in Proem, ad vitas Philosoph. p. m. 4. qui opus suum ita inchoavit,

Ἦν ποτε τοὶ χρόνοι οὐκ ἔσθ' ἅμα πάντ' ἐπέφυκει.

*Tempus erat, quo cuncta simul sunt condita quondam.*

Eandem sententiam discipulis suis instillabat Anaxagoras,

teste Laërt. l. cit. πάντα ἐφθη χρηματὰ γεγονέναι ἡμῶν, καὶ δε  
 ἔλθοντα, αὐτὰ διακρίσθησαν. *Simul omnia esse facta, &*  
*ea mente accedente disposita*, ad quæ duo Laertij loca plu-  
 rima adduxerunt Aldobrandus & Menagius in Commen-  
 tarijs, ad quas lectorem remittimus, prolixius autem  
 varias gentilium de mundi origine sententias attulit &  
 explanavit Rev. & amicis. N. Brunnerus, in erudita  
 Dissert. de *Gentilium præstantiorum cognitione Dei pag. 24.*  
*& seq.* Ut ergo hoc dubio hos gentiles Paulus liberaret,  
 primo jam eos ad universi conditorem deducit, quem  
 ideo etiam optimo jure vocat τὸν Θεὸν τὸν ζῶντα, *Deum*  
*illum vivum*, recte hinc ad hæc commentatur remon-  
 strantium alias Professor *Limborgius in Commentar. ad*  
*Act. Apost. p. m. 138.* *Creatio est evidentissimum argumen-*  
*tum, numina, quæ à Gentilibus colebantur, non esse Deos,*  
*& quem ipsi annuntiabat, esse verum Deum; Si enim Deus*  
*creavit cælum & terram, mare & omnia, quæ in ijs sunt,*  
*creavit ergo cæli astra, creavit homines, quotquot unquam*  
*extiterunt; qui autem omnia hæc condidit, ex ipsa crea-*  
*tione arguitur esse Deus, nam ex eo ipso agnoscitur, prima*  
*esse omnium, quæ existunt causa, ipsi nulli priori causæ*  
*existentiam suam debent, sed à se ipso, seu necessitate exi-*  
*stentiæ suæ existens. Quia autem creator est, ipse solus co-*  
*lendus, omnequæ ipsi obsequiam est præstandum.* Non er-  
 go peculiari emphasi in hac oratione caret epitheton  
 quod Paulus Deo adscribit, cum dicendo, *Deum vi-*  
*vum*, contradistincte ad illa numina, quæ nec in se, nec  
 ab alijs vitam habent, quæ oculos habent, & non vi-  
 dent, aures & non audiunt. Qui autem Deum, tan-  
 quam rerum omnium auctorem videt, vitam perpetuam,  
 nec

nec ad terminum ullum vel finem defectentem haud dubiè in eo agnoscit, qui enim rebus omnibus vitam largitur, vitam in se & per se necessario possidet, inde etiam Deus in promissionibus & comminationibus suis addit *יְהוָה אֱלֹהֵינוּ vivo ego.* Innotuit etiam Deus sub hoc nomine Patribus temporibus antiquissimis, Deut. 32: 40. Esaj. 37: 17. & in plurimis alijs V. T. locis; præsertim autem Jeremias Deum Israelis hoc nomine Judæis exhibuit, *Jehova vero Deus verus est, Deus vivens, & rerum sempiternus, Jerem. 10: 10.* Consistit autem hæc Dei vita in ejus essentia, quæ intellectu infinito, & sanctissima & omnipotenti voluntate est prædita, illam Apostolus vocat, *θεὸς κυρίου*, vel secundum alios codices *θεὸς οὐρανῶν*. Rom. 11: 34. Per quam Deus uno & simplicissimo actu sibi ab æterno omnia ea representare & quasi ob oculos ponere potuit, quæ secundum voluntatem suam inde à creatione usquè ad finem mundi per delabentes temporum periodos eventura essent, hanc autem ipsa etiam Scriptura vocat *το θελημα τοῦ θεου*, *voluntatem Dei*, I. Petr. 3: 17. Per quam Deus omnia ea, quæ sibi in tempore exequenda proposuit, per omnipotens verbi sui imperium efficit & producit, aut sanctissimo modo permittit; Ex hac vitæ scaturigine & primo fonte & nos vitam habemus, quæ in eo à vita Dei differt, quod illam à se & per se habeat, nos autem à Deo, & quod vita Dei sit æterna & permanens, nullo temporum vel seculorum lapsu terminata, nostra autem successiva & suis cancellis circumseptæ, ideo etiam summum hoc & æternum numen tum modo maxime emphatico vocatur *ὁ ὢν* & *ὁ ζων*, & in V. Testamento *אֱלֹהֵינוּ אֱלֹהֵי חַיִּים*; *sum vel ero,*

ero , qui est , quod est , *Exod. 3: 14.* In quo perennis vitæ possessio includitur , quæ nunquam , vel intrinseco defectu , vel externa vi vel turbari vel minui , multo minus extinguï potest.

§. V.

Ad alteram nunc orationis suæ partem pergit Apostolus , atquè Lytrensens docet , quare Deus hic Vivus , Creator cœli & terræ hætenus non alio modo , quam per opera creationis se illis manifestaverit , *ἐν ταῖς προχωρηταῖς γενεαῖς εἶσα πάντα τὰ ἔθνη πορευθεὶς ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν* , qui in præteritis generationibus sivit omnes gentes suis ipsarum vijs incedere , plurima autem in his Apostolus Lytrensens suos docere intendit , omnium enim primo antecedentium temporum œconomiam illis proponit , in qua Deus populum sibi peculiarem habuerat , quem spiritu & verbo suo regendum alijs hætenus neglectis & posthabitis elegerat , sivit sive permisit gentibus pro lubitu sequi vias , quas sibi eligerent , hoc est , Deus non intercessit verbo suo , quo illuminarentur , verum Deum agnoscerent , voluntatem ejus atquè naturam perspicerent , & in his jam aperit divinæ revelationis necessitatem ; Si vero hæc Apostoli verba accuratius considerentur videbimus , Paulum simul Lytrensibus originem omnis Idololatriæ operuisse , idem enim est , ac si illis dixisset , omnis fons & ratio vestræ Idololatriæ ex eo provenit , quia Deus hætenus se vobis non per prædicationem & verbum suum manifestavit , hinc ratæ perversæ vestræ de Deo opiniones & sententiæ , hinc arcescendæ falsæ de ente perfectissimo vestræ cogitationes , hinc pul-

pullularunt ineptæ Deum colendi rationes, hinc excogitata à Sacerdotibus vestris ingens Deorum multitudo, hinc ignorantia vestra, quomodo Deus adorari, placari & legitimo modo coli debeat; Sic ubique in Epistolis suis Paulus gentibus earum in rebus Divinis inscitiam exponit, & inde disertissimis verbis naturalem gentilium in superstitione oberrantium statum explicat Ephesijs; *Hoc itaque dico, & obtestor per Dominum, ne vos amplius ambuletis, sicut reliquæ gentes ambulant in vanitate mentis suæ; tenebris obscuratam mentem habentes, & abalienati à vita Dei, propter ignorantiam, quæ est in ipsis, per obdurationem cordis ipsorum. Ephes. 4: 17.* Liquido ex his colligimus, quis sit hominis naturalis ad Deum vel cognoscendum, vel colendum status & conditio, ubi enim se Deus homini non patefacit, naturali sua cæcitate ita involvitur, ut nec Deum cognoscere, nec naturam ejus indagare, nec modum ad eum sibi conciliandum invenire possit. Probat id omnis Paganicæ superstitionis historia, in qua videmus, ad quas inanitates in alijs scientijs exercitatissimæ aliàs gentes descenderint, ita quidem ut tandem omni plane ratione destitutæ viderentur, atque una aliam derideret & exhiberet natio, egregie id nobis probatur ex *Juvenal. Sat. XV. 1.*

*Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens,  
 Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat  
 Pars hæc, illa pavet saturam serpentibus ibin,  
 Effigies sacri nitet aurea cercopitheci  
 Dimidio magicæ resonant ubi Memnone chordæ,  
 Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis.*

T

Illuc

*Illic cœruleos, heic piscem fluminis, illic  
Oppida tota canem venerantur, nulla Dianam;  
Porrum & cepe nefas violare & frangere morsu.  
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis  
Numina!*

§. VI.

Tertia nunc sequitur spectanda pars Orationis Apostoli, in qua Lystrenses ad naturales de Deo notiones deducit, eosquè vel ex conscientia dictamine, vel ex operibus providentiæ, quæ omnibus hominibus cottidie ante oculos sunt posita, vel tandem ex gentiliū de Dijs sententia convincit, Deum se non sine testimonio reliquisse, atquè in hanc rem citat, terræ fertilitatem successivo tempore redeuntem, ex qua varijs cumulati bonis fuissent, ea autem ita Paulus instituit, ut facile meminisse potuerint Lystrenses, aliquam verborum Apostoli partem etiam à sanioribus Philosophis aliquando, licet imperfecte & obscure traditam fuisse, ut in sequentibus patebit. Ne ergo Lystrenses sibi ex ijs quæ præcedenti versu dicta & explanata fuere, refugium aliquod incredulitatis & impœnitentiæ quærerent, necessario addit, quod Deus se Gentibus omnibus non plane sine testimonio reliquerit, ut dicere possent, se nullam nec bonitatis nec providentiæ Dei cognitionem habere potuisse. Fortissimum urget Apostolus pro naturali Dei cognitione argumentum ex bonitate Dei erga omnes creaturas, omnibus ἀγαθῶν, ἕργων ἡμῶν ὕλης διδῶς, καὶ καρπὸς καρποῦ.

ποφοριε, ἐμπληρων τροφης καὶ εὐφροσυνης τας καρδιας ἡμων,  
*benefaciendo, dans de cælo pluvias, & tempora fructifera,*  
*implens cibo & letitia corda eorum.* Provocat in his  
 Apostolus ad dictamina conscientiae, quæ ad considerationem  
 bonitatis Dei necessariò homines suscitare deberent; nam  
 generalia hæc beneficia, licet vitam animalem sustentent,  
 non possunt non mentem ad scrutandum harum rerum  
 auctorem movere; hæc ergo verba cum præcedentibus  
 ita sunt conferenda, ut sensus sit; licet Deus gentibus  
 non verbum suum revelaverit, atquè omnia quæ ad  
 plenariam Dei cognitionem requiruntur dederit &  
 manifestaverit ut Judæis, eum tamen talia revelasse  
 & dedisse etiam gentilibus, ex quibus Dei sapientiam,  
 providentiam, bonitatem & in genus humanum amorem  
 colligere abunde potuissent. Opera enim providentiæ  
 nobis non tantum Dei existentiam, sed & ex aliqua parte  
 essentiam, qualis ex Theologia naturali deduci potest,  
 aperiunt. Nulla unquam institui posset existentiae  
 Divinae demonstratio, quæ major esset illa, quæ nascitur  
 ex cœli terræquè aspectu, & ex luculentissimo ordine  
 & emanante mortalibus usu & emolumento, videmus  
 omnia ad certum scopum & finem tendentia, quæ haud  
 dubiè infinitæ sapientiæ opus esse debent, quod si cœlum,  
 terra, plantæ, animalia, nobis non inde à teneris ita  
 in oculis & vultu familiaria essent & communia, ingens  
 statim Dei sapientia & bonitas inde menti nostræ se se  
 exhibitura foret, supponamus ergo hominem inde à  
 natalibus & cœcum & surdum, sana aliàs ratione præditum,  
 qui autem in adulta demum ætate illico ad sensuum suorum  
 usum perducì posset, quam non in mente ad-

mirationem & tantarum rerum celebrationem suscitatura esset subita hæc elegantissima & mirifica mundi machinæ consideratio & aspectus, sed quia a prima ætate hæc stupenda omnipotentis architecti opera singulis momentis nobis se manifestant, nobis idem evenit, quod regiorum Palatiorum habitatoribus, qui his non moventur, nec elegantiam mirantur, qui autem novi accedunt spectatores, ad tanti splendoris aspectum gradum sistunt, considerate omnia intuentur, & ad suas casulas & villas reduces laudant, narrant, nec unquam illorum deponunt memoriam. Notandum porro, quod omnia hæc non mirum tantum ordinem & ornatum declarent, sed & perpetuam mortalibus utilitatem & nutrimentum præbeant, plantæ, arbores, imo & minutissima & nobis abjectissima herbæ creatoris multivariam extollunt sapientiam, & simul hominibus varium vel usum præbent, vel alimentum, nulla res est, ex qua homines non aliquem usum & commoditatem sibi vindicare possint, ex quo videmus rem omnem suam habere causam, propter quam existat; An non ergo homo ab his quasi manu ducitur ad laudandam Dei sapientiam, ad concelebrandam ejusdem bonitatem, ad amandum tam munificum numen, quod tam larga manu omnia hæc in genus humanum contulit? merito ergo Paulus Lyfrensis dicit, quod Deus se in his omnibus non sine testimonio reliquerit.

§. VII.

Generaliter hæcenus consideravimus hanc Pauli ad Lyfrenses orationem, nunc vero eam paulo accuratius exami-

examinabimus , ut videamus quomodo Apostolus hos homines ad cognitionem veri Dei deduxerit ; Gentiles ipsi per se agnoscebant , terræ fertilitatem deorum immortalium donum esse , hinc egregie Cicero de Nat. Deor. Lib. 1. cap. 2. sunt enim Philosophi & fuerunt , qui omnino nullam habere censerent humanarum rerum procurationem Deos , quorum si vera sententia est , quæ potest esse pietas ? quæ sanctitas ? quæ religio ? hæc enim omnia pure & caste tribuenda Deorum numini ita sunt , si animadvertuntur ab his , & si est aliquid à Dijs immortalibus hominum generi tributum . Et paulo post idem . Nam & fruges , & reliqua quæ terra pariat , & tempestates , ac temporum varietates , cæliquæ mutationes , quibus omnia , quæ terra gignat , maturata pubescant , à Dijs immortalibus tribui generi humano putant . Ita certe , ut in præcedentibus dictum , divus Apostolus gentiles ex dictamine illorum conscientiæ & doctorum inter eos confessione convincebat , hæc in mortales collata beneficia ad solum Deum unicum , cæli terræquæ creatorem & conservatorem , continuo referenda esse . Noverunt equidem ipsi gentiles , omnia hæc non casu fortuito evenire , sed in eo errabant , quod hanc divinam liberalitatem & clementiam ad idola & inania simulacra Deorum retulerint ; Primo Paulus recenset pluviam , cujus originem & beneficium ad Jovem deferrebant , hinc commune Græcorum dictum ποισειν ὁ Ζεὺς ὕδωρ Jupiter pluviam dedit . Theophr. Eth. Charact. cap. 4. similiter plane Aristophan. in Vespiis , §. 260.

Κεῖ ἐσθ' ὅπως εἶχ' ἡμέραν τετταρον το πλεισων  
 ὕδωρ ἀναγκαιως εἶχει τον Θεον ποιησαι.

*Mira certè res erit , si Jupiter non plurimam  
Aquam per dies quatuor superne emittet.*

Ob eandem hanc rationem Ζεὺς οὐρανόθεν ☉ & ἕρως ☉ hoc est *Jupiter Pluvius* dictus , qua in re Græci cum Romanis in omnibus conveniebant. extabat etiam passim apud Græcos & Romanos Jovis pluvij simulacrum , quod in Commentario suo ad Petronium exhibuit Excellentiss. Petrus Burmannus ; quotiescunque enim agrorum pratorumque sterilitas ex longa terræ siccitate oriebatur , ad Jovem pluvium , sive quod idem est , ad Jovem aquilicium recurrerant , à quo pluvias exorabant , hinc *Tibull. Lib. 1. Eleg. 8.*

*Nile pater , quamam possum te dicere causa ,  
Aut quibus in terris oculuisse caput ,  
Te propter nullos tellus tua postulat imbres ,  
Arida nec pluvio supplicat herba Jovi.*

Plura equidem de hac gentilium in pluvia exoranda superstitione afferri possent , sed ea jam occupavit eruditiss. Broukhusius in notis suis ad Tibulli loc. cit. Fructifera vero pluviae porro Apostolus adjungit , καρπὸς καρποφορίας , tempora ad fructus producendos idonea , Græci enim ad varias anni tempestates , quibus fructus colliguntur , vocem καρπὸς ☉ adhibent , sic etiam οἱ LXX. Psalm. 1: 3. τὸν καρπὸν αὐτῆ δώσει ἐν καρπῷ αὐτῆ , & Marc. 9: 13. εἴ γὰρ ἦν καρπὸς συκῶν , non erat tempus ficuum ; apud prophanos communis admodum hæc est dictio , hinc loca allegare superfedemus. Effectus autem terræ fertilitatis is est , quem recenset Apostolus , ciborum abundantia ,

tia, quibus homines ad lætitiã & saturitatem perducuntur. Viri quidam docti hic ἐὺφροσῶν pro vino sumendam esse existimant, quos in hanc rem citat *Wolffius in Cur. Philolog. & Critic. ad hunc loc.* quantum autem ex Græcorum lætione colligi potest ἐὺφροσῶν est omne lætitiæ genus, quo homines genio suo litare & indulgere solent, hinc *Herodian. Histor. Lib. V. cap. 6.* Κελευσὶς πάντας τῆς κατὰ Ῥώμην καὶ Ἰταλίαν ἀνδρῶντες εὐφραίνειν παῖδοπαῖς τε εὐφροσῶναις καὶ εὐωχίαις χρηρᾶς δημοσία τε καὶ ἰδίᾳ ὡς δὴ γαμῆντων θεῶν. *Fassit urbe tota Italiaquæ dies celebresquæ & lætitiæ plenos publice privatimquæ, quasi dijs nubentibus agitari.* Phrasin autem ἐμπλεῶν τῆς καρδίας implens corda recte illi intelligunt, qui ex antiqua Græcorum loquendi consuetudine explicant, quibus καρδία sæpe non cor, sed stomachum significat, ut id probat *Galenus ipse Lib. II. de Hippocr. & Platon. placitis Tom. II. p. 262.* Licet autem hoc probari non posset, facile tamen hæc dictio explicari posset ex mente veterum Philosophorum, & nata inde loquendi ratione, qui in corde sedem affectuum & passionum omnium collocarunt, ut id patet ex ipsa Sacra Scriptura, & secundum hanc veterum opinionem ipse Salvator noster loquitur ἐν τῆς καρδίας ἐξέρχονται δὲ λογισμοὶ πονηροὶ, φονοὶ, μοιχεύειαι &c. *Ex corde egrediuntur mala cogitationes, homicidia, adulteria &c. Matth. 15: 19.* Apud prophanos hæc usitata locutio. *Horat. Serm. Lib. 2. Sat. 3. v. 213.*

- - - *Vitio cum tibi tumidum est cor.*

Et

Et idem in arte poëtica : §. 98.

*Si curat cor spectantis tetigisse querela.*

Ex hac veterum de corde sententia etiam explicanda illa loca , quæ κατὰ γῶν pro mente & intellectu accipiunt , sed hæc occupata ab Elsnero ad Matth. 13: 15. p. 66. quem vide.

§. VIII.

Considerata jam hætenus oratione Apostoli ejusdem nunc etiam apud Lytstrenses effectus inspiciendus est , quem nobis Scriptor sacer describit , καὶ ταῦτα λεγοντες , μοις κατεπαύσαται τῆς ὀχλῆς , τε μὴ θύειν αὐτοῖς , & hæc dicentes , vix compefcuerunt turbam , ne ipsis sacrificaret. Tanta erat Pauli orationis vis & efficientia ut illo renitente & repugnante attoniti hi & stupefacti homines sacrificia afferrent , moti erant tanto miraculo , moti erant divina Apostoli oratione , quam ob miram Eloquentiam non ad merum hominem , sed ad Mercurium , ipsum Eloquentiæ præsidem referendam esse arbitrabantur , sed non diu duravit hæc Lytstrensiū de Paulo & Barnaba existimatio , Judæis enim quibusdam ab Antiochia & Iconio supervenientibus , lapidarunt Paulum , traxerunt eum extra civitatem , existimantes eum mortuum esse , sed a discipulis circumdatus surrexit. Tria in his observanda veniunt. Judæorum furor & malitia ; Subita mutatio Lytstrensiū , dum illum lapidant , quem modo Mercurium esse crediderant , & tandem novum miraculum in Apostoli restitutione factum. Quod ad primum spectat,

ſpectat , dicendum eſt , admodum veriſimile eſſe ipſos hos Judæos fuiſſe ex illorum numero , qui Paulum ubique inſequebantur , qui jam ipſum apud Antiochenſes ejecerant , Actor. 13: 50. & mox poſtea apud Iconios , Actor. 14: 5. nunc etiam apud Lyſtrenſes non modo Evangelij prædicationem , quocunquè modo poſſunt , impediunt , ſed & ipſum ſalutis concionatorem è medio tollere ſuſtinent. Res certe mira videri poteſt , Judæos non in Palæſtina tantum , ſed etiam apud gentes , ubi & ipſi peregrini erant , Apoſtolos quocunquè modo exagitâſſe , tantus erat furor & veſania horum hominum , ut divinæ revelationis præcones & miniſtros tanquam infernales furix ubique inſequerentur , cum enim Iconij eos jam lapidare fruſtra tentâſſent , nunc apud Lyſtrenſes rabie immani & furore , gentium Apoſtolum lapidibus obruunt , ſed hæc a magiſtro optimo jam antea illis prædicta fue-  
*re , movebunt vos Synagogis , imo veniet tempus , ut omnis , qui interficit vos , arbitretur , ſe cultum Deo præſtare , & hæc facient vobis , quia non noverunt Patrem , nequè me. Joh. 16: 2. Cavete vobis ab hominibus , tradent enim vos in conſeſſus , & in Synagogis flagellabunt vos , & eritis omnibus expoſi propter nomen meum Matth. 10: 17. 22.* Judæi Scripturas conferre , ad characteres temporum adventus Meſſix attendere , eumquè cum gaudio & amore accipere debuiffent , nunc primi quantum in ipſis eſt , Spiritui Sancto reſiſtunt , atquè dilatationem regni Chriſti impediunt & ſuffocant , imo longe majorem adverſus Apoſtolos exercent inimicitiam quam cognitione & revelatione divina deſtitutæ gentes. In Lyſtrenſibus autem obſervanda veſana mutatio , dum Paulum , quem modo victi-

mis & coronis in Deorum censum retulerant , nunc tanquam hominem deterrimum lapidibus enecant atque urbe ejiciunt , facile ex his colligimus , quæ sit vesanæ plebis mobilitas & inconstantia , recte hinc *Horat. Sermon. Lib. 2: 3.*

- - *Ego vulgum  
Errori similem cunctum insanire docebo.*

Viderant modo Lystrenses divinum miraculum in claudo sanato perpetratum , exaudiverant divina verba ex ore Apostoli dimanantia : nihilominus tamen fallacibus & omni mendaciorum genere repletis Judæorum sermonibus facilem aurem præbent , lapides tollunt , in virum innocentem projiciunt , de veritate parum solliciti , eadem levitate eos in numerum Deorum & abjectissimorum maleficorum reponunt , quid ergo favor populi ? quid aura plebis ? eleganter admodum vulgi inconstantiam notat *Juvenal. Sat. X. 61.* ubi casum Sejani describit.

*Ardet adoratum populo caput , & crepat ingens  
Sejanus.*

Et paulo post de eodem dicit §. 72.

- - - *Sed quid  
Turba Remi ? Sequitur fortunam , ut semper , & odit  
Damnatos. Idem populus , si Nutia Tusco  
Favissent , si oppressa foret securâ senectus  
Principis , hac ipsa Sejanum diceret hora  
Augustum.*

Ex his autem quæ & hîc Paulo evenere , facile cognoscimus ,

mus , quod regnum Christi ab Apostolis in cruce , in labore , in ærumna , in perpetua vitæ formidine fuerit propagatum , quæ non minima veritatis Evangelicæ nota est & testimonium , quis enim rationem redderet , quare Apostoli doctrinam de Christo , in cujus prædicatione nihil illos , quam omnis generis afflictiones cum certa tandem morte manebant , tanta cum alacritate , tanto gaudio & indefesso labore disseminaverint , si non persuasi & convicti fuissent , se tandem æternam fidei & laboris reportaturos esse mercedem , secundum consolationem Christi , *In mundo habetis afflictionem , sed confidite , ego vici mundum . Joh. 16: 33.* omnibus autem Christianæ doctrinæ genuinis discipulis perpetuum mundi & seminis serpentis destinatum est odium , illis præsertim , qui homines profanos à vitiorum intemperie avocant , qui malos redarguunt , qui regnum diaboli destruunt , horum autem est officium , in vera fidei professione persistere , tribulationes constanter perferre , donec ad æternum laborum premium & beatam requiem perveniant , secundum dictum Apostoli 1. Petr. 4: 12. 13.


§. IX.

Immanis autem Judæorum & Lystrensium furor per lapidationem in Paulum deferbuit , dicit enim Scriptor Sacer , *ἡς λιθασάντες τον Παυλον , & lapidantes Paulum ;* Res satis est communis & obvia , quod lapidatio quidem apud Græcos non plane fuerit ignota , ut probat *J. Phil. Pfeifferus in Antiq. Græc. p. 228.* communior tamen erat apud Judæos , atquæ omnia suadent , hanc tumultuariam lapidationem non à Lystrensibus , sed à Judæis Paulum

infectantibus fuisse susceptam, quippe qui hoc modo facillime innocentem sine causæ cognitione, vel iudice e medio tollere potuerunt, haud dubie prætextu blasphemiae, quemadmodum etiam Christum ipsum Judæi in templo lapidare sustinuerant, Joh. 8: 59. Qui enim vel blasphemaverant, vel Idololatriæ erant convicti, vel Sabbathum impie profanassent, hoc mortis genere tollendi erant, ut id prolixius demonstrat Cl. *Otho in Lex. Rabbin.* p. 319. & multi alij; hujus autem lapidationis mentionem etiam facit Paulus 2. Corinth. 11: 25. ubi varias tribulationes, propter Christum & Evangelij prædicationem in se congestas recenset; Lapidatum autem *ἔσθρον ἔξω τῆς πόλεως*, traxerunt extra urbem, tanquam hominem infami morte sublatum; omnia autem hæc in tumultu, quemadmodum etiam in lapidatione Stephani Actor. 7: 58. factum fuisse eruditis verisimile videtur, gesta esse omnes circumstantiæ declarant, hac vero hostium rabie & congesta in sanctissimum virum lapidum multitudine factum, ut animam exhalasse crederetur, sed benignissimus Deus, hunc Evangelij præconem Ecclesiæ reddidit & servavit, cum enim discipuli eum circumdassent, ardenti haud dubie prece eum à domino expetentes, surrexit integer, atque cum ijs iterum inimicam urbem ingressus est, in qua tam varia fata paucissimo temporis spatio fuerat expertus. Ex his autem Dei iterum animadvertimus benignitatem, qui non ex periculis tantum, sed & ex præsentissima morte suos eripere potest electos; quam diu verum est Dominum ex ipsa morte exitum monstrare suis, frustra molientur inimici omnes, quotiescunque Deus ministros suos conservat & protegit.

tegit, quam irritæ futuræ sunt malorum artes & doli, quibus vel Ecclesiam vel pios destruere & subvertere conantur; Hic autem Apostoli ex præsentis quasi morte redeuntis in urbem adventus, a Scriptore sacro non describitur, apud plurimos autem salutarem cognitionem, Pauli orationem, miraculum, & ejusdem miram hanc conservationem suscitare potuisse, harum rerum magnitudo atque conjuncta prædicationi divina gratia, nos dubitare non permittit.

F I N I S.



*COROLLARIA RESPONDENTIUM.*

I.

**R**Ex Massinissa nunquam a Romanis fuit captivus ductus.

II.

Augustum modò bis ovâsse defendimus.

III.

Marcum Marcellum templum honoris novum condidisse affirmamus.

IV. Ferrô

IV.

Ferrô vitam sibi adimere olim honesti  
quid erat.

V.

Objicere vitam pro patria latinum esse  
propugnamus.

VI.

Estheram Reginam eandem esse ac Ame-  
strin Xerxis uxorem credimus.

F I N I S.



